

V O T U M.

1. *Votum* est promissio deliberata facta Deo de meliori bono. Requiritur ergo ad validum votum vera intentio se obligandi ad executionem factæ promissionis, & est de essentia voti, ut fiat deliberate. Usus votorum antiquitate sua ipsam Religionis antiquitatem adæquat, ut manifestum fit ex sacra Scriptura, quæ in pluribus locis antiquæ legis votorum meminit.

2. Dividitur votum in absolutum, conditionatum, reale, personale, & mixtum ex reali ac personali, ac denique in simplex & solemne.

3. *Votum absolutum* est, quod emittitur absque ulla conditione, & statim ac factum est, inducit obligationem exequendi promissum; & de hac voti specie intelligendum illud Deuter. 23. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* *Votum conditionatum* est, quod sub conditione fit, & ante eventum conditionis non obligat. *Votum reale* pro objecto materiali habet rem extra personam voventis existentem, ut est v. g. votum erogandi elemosynas in pauperes. *Personale* votum afficit ipsam personam voventis aut ejus actiones; ut si quis vovet ingressum in Religionem, peregrinationem, jejunium, preces &c. *Votum mixtum*, seu reale ac personale simul, respicit tam personam aut actionem voventis quam ejus bona. *Votum simplex* dicitur omne votum privatim aut etiam publice emissum. *Solemne* est, quod fit in professione solemnem Religionis ab Ecclesia approbatæ aut in receptione Ordinum sacrorum.

4. Obligatio voti realis transit etiam ad hæredes voventis defuncti. *Votum solemne* Religionis tria alia distincta comprehendit vota, nimirum votum paupertatis, castitatis & obedientiæ.

5. Huic divisioni variorum votorum id adhuc addendum, dari scilicet vota, quæ versantur circa res de se bonas quidem, non tamen præceptas, ut est v. g. votum jejunandi diebus Mercurii; & alia circa res præceptas.

6. Solum votum solemne inducit impedimentum dirimens matrimonii.

7. Ecclesia, seu illi, qui dicuntur Superiores majores, ut sunt Papa & Episcopi, possunt dispensare in votis, aut ea commutare, si votum fiat nocivum, inutile, aut majoris boni impeditivum.

8. *Dispensatio in voto peregrinandi Romam, Jerosolymam, & Compostellam* est de jure reservata Papæ; sicut etiam

etiam vota perpetuæ castitatis, Religionis, & plura alia, quorum pleraque respiciunt impedimenta dirimentia matrimonii, ipsi reservantur ex antiqua consuetudine, & jure legitimæ præscriptionis adversus Episcopos.

9. Nihilominus plures Episcopi ininterruptim conservant se in possessione stabili dispensandi in non nullis casibus circa quædam impedimenta matrimonii etiam dirimentia; prout & omnes pleno gaudent jure dispensandi in votis dubiis ac conditionatis, seu alligatis cuidam conditioni, quæ necdum impleta est.

CASUS I. Lieboldus in conferentia Clericorum sententiam defendit, quod liceat vota facere B. Virgini & Sanctis eodem modo, quo ea fiunt Deo. An bene?

R. Juxta S. Thomam in 4. dist. 38. q. 1. art. 1. ad 4. possunt fieri vota Sanctis, immo viventibus adhuc in mundo, prout Religiosi obedientiam vovent Prælato suo; dummodo referantur ad Deum, & materia voti versetur circa rem, quæ debitus Deo cultus exhibetur. Hinc & Sylvius Resol. var. V. *Professio monastica.* ait: *Dicendum est, vota, quæ Sanctis fiunt, habere hunc sensum; vel quod fiant coram Sanctis tanquam testibus & suffragatoribus, pro petendo auxilio ad illorum implementationem; vel quod fiant Deo, secundum quod habent rationem promissionis; quæ tamen promissio etiam cadet sub votum; quia Deo vovetur, quod promissio Sanctis facta implebitur.* Lieboldus igitur in sensu D. Thomæ & Sylvii absque errore potuit hanc tæri sententiam. Pontas.

CASUS II. Balduina pauper puella, decem aut undecim primis annis nata emisit votum virginittatis, aut ingrediendi Religionem, si ætatem ad professionem solemnem requisitam attigerit. An ipsius votum validum est? An a solo Papa dispensationem obtinere potest?

R. Juxta S. Thomam 2. 2. q. 88. art. 9. C. de votis impuberum fixum ac stabile judicium ferri non potest. Si Balduina ea ætate tanta jam discretionem potita est, ut naturam voti sui satis ponderare potuerit, præsumendum est, validum esse votum, nisi ob graves causas aliter sit judicandum. Hinc tutius est dicere, Balduinam teneri ad executionem voti, si non obtineat dispensationem legitimam, quæ ab Episcopo concedi potest; nam solum vota certa reservata sunt Papæ, quando ad eum recurrenti facultas suppetit. Pontas.

CASUS III. Lucilla annos nata duodecim & tres menses ad sacrum Synaxin prima vice accedens fecit votum virginittatis perpetuæ, quin cujuspiam consilium expetierit. Sex jam abiit anni, quin recordata sit sui voti; imo contrahit etiam matrimonium sine ulla reflexione ad votum. Verum altero

altero post nuptias die matrimonio jam consummato recordatur sui voti. An votum validum erat? Et si validum fuit, quid ipsi pro conscientiae suae securitate agendum?

R. Si emittendo votum agnovit, ad quid se obliget, votum est validum, & pro securitate conscientiae dispensationem debet petere in Pœnitentiaria Romana: interim tamen potest suo marito reddere debitum conjugale absque peccato, non tamen potest illud petere, quin peccet contra votum, donec obtinuerit dispensationem. Si Lucilia non potest recurrere Romam, potest dispensationem obtinere ab Episcopo aut Vicario generali in foro interno, ubi ejusmodi dispensatio executioni danda est. Si denique votum est dubium, non tenetur recurrere Romam. *Pontas.*

NOTA. In praxi præsumendum, vix unquam in tam tenera ætate intervenisse sufficientem considerationem, ut talis naturæ votum possit dici certo validum.

CASUS IV. Rutilia sedecim annos nata concioni ad professionem religiosam habitæ interfuit, & mox promisit perpetuam continentiam, absque ulla tamen determinatione aut reflexione, an se obligare velit sub ratione voti, vel non; cum de natura ac obligatione voti vix ullam haberet notitiam, licet perbene sciret, ad quid se obligaverit. Elapsis aliquot annis, cum promissionem suam simpliciter inquit propositi haberet, oblatas sibi acceptat nuptias, haud rata, voto se ligari, quod tamen aliis visum est, moventibus ipsi desuper scrupulum. Quid sentiendum, & anxie pro securitate conscientiae consulendum?

R. Intentio se obligandi est de essentia validi voti: votum enim est lex, quam sibi quis voluntarie ipsemet posuit, & hæc in tantum obligat, in quantum quis voluit. Ex hoc sequitur, Rutiliæ promissionem revera esse votum; hinc etiam obligatur in conscientia ad voti executionem. Ratio est; quia, cum continentiam se servaturam plena deliberatione promiserit, negari non potest, eam etiam habuisse intentionem sufficientem ad id se obligandi. Nihilominus Rutilia absque peccato posset recurrere ad superiorem legitimum pro obtinenda dispensatione: si haberet causam legitimam eam petendi. *Pontas.*

NOTA. Eo ipso, quod obligatio voti fundetur in voluntate propria, ita ut votens sit ipsum primum obligans, nemo est ligandus voto, quamdiu dubitat de emissionem, vel intentionem voti, utpote præsumptively sua intentione se non extendens; imo potius nolens se extendere ad circumstantiam dubietatis de facto. Vota sunt in genere promissionis gratuita; jura autem non obligant ad promissa dubia. Promissio-

missionis gratuita contractus sunt strictæ interpretationis, ita ut non obligent ultra ea, quæ expressa sunt. Quod si quis dicere malit, vota pertinere ad contractus bonæ fidei inter Deum & hominem, eo ipso inclusa vel exclusa censenda sunt, quæ in-vel exclusa fuissent, si de iis foret cogitatum.

CASUS V. Numius, cum per tres menses ipsi uxor debitum sine ulla justa causa denegaret, ex mera passione iræ vovit, se nunquam amplius petituram a sua uxore debitum. An hoc votum validum est?

R. Passio iræ de se non irritat votum, nisi ira adeo excresecat, ut omne tollat iudicium. Hinc Navarrus in *Can. Divortium*, de pœnit. dist. 1. n. 12. ait: *Valet votum per iracundiam emissum a vovente non penitus a suo iudicio disturbato.* Si igitur ira non sustulit sanam mentem Numio, votum ipsius censetur validum. Docent tamen alii, votum ejusmodi, nisi sopita ira fuerit ratibabitum ac confirmatum, esse nullum. *Pontas.*

NOTA. Votum hoc in conjugatis maxime junioribus, etiam tranquilla mente emissum, non est de meliori bono; cum imprudenter ardet & scrupulis involvat remedium incontinentiæ a Deo ordinatum.

CASUS VI. Pavinius Romam profectus in itinere emisit votum jejunandi altero mœx die, cum Romæ advenisset; advenit autem sabbato. Teneturne die sequenti jejunare?

R. Si Pavinius non habuit expressam intentionem hunc diem excipiendi, videtur etiam hoc die teneri ad jejunium. Sic sentit Fagnanus in *Cap. Explicari*. 3. Lib. 3. Tit. 46. ubi ait: *Idemque dicendum esset, si vovisset abstinere die, in qua perveniet ad locum peregrinationis... nam si pervenerit ad locum designatum in die Dominico, immo & in Paschate Resurrectionis utique teneretur abstinere.* *Pontas.*

NOTA. Hoc votum objective pro ea circumstantia imprævisa non est de meliori bono; & ideo jejunium in diem primo non impeditam transierendum, vel a confessario commutandum est.

CASUS VII. Constantinus annos natus 27. emisit votum ingrediendi Religionem; tractu autem temporis electus est in Episcopum. An propterea liber est a suo voto?

R. Votum ita stringit Constantinum, ut sola impotentia physica aut moralis coram Deo ipsum eximat ab ejusdem executione. Hinc, etsi in Episcopum electus, votum implere tenetur: poterit autem implere cedendo episcopatum. *Qui vovit Religionem ingredi, & voto non completo factus est Episcopus,* ait Fagnanus in *Cap. Sane*. De regul. n. 67. *per*

hoc non est solutus voto. Immo si suam velit sanare conscientiam, debet cedere, & votum implere. Pontas.

Nota. Cum cessio Episcopatus sit casus Papæ reservatus, illi hoc motum cessationis fideliter exponendum, & iudicio ipsius relinquendum, utrum in individuo sit de meliori bono.

CASUS VIII. Lælia emisso voto perpetuæ virginitatis se corrumpi permisit a juvenale. An vi voti sui adhuc tenetur ad continentiam per reliquos vitæ suæ dies servandam; cum solum intentionem habuerit votendi virginitatem?

q. Tenetur servare perpetuam continentiam in compensationem virginitatis amissæ, licet non æquivalentem. S. Thomas, 2. 2. q. 88. art. 3. ad 2. *Pontas.*

Nota. Cum intentio votentis se non extenderit ad obligationem conditionatam, vel ad compensationem ultroneam, non est ad hanc obliganda. Recte tamen a confessorio in satisfactionem injungitur compensatio perpetua. Vide *Notam ad Casum. 4.*

CASUS IX. Ennodius homo dives emisit votum erogandi quinque crucigeros in pauperem primo obvium, idque ad refarciendam ducitiam paulo ante cuidam indigenti exhibitam. Teneturne ad impletionem hujus voti sub peccato mortali?

q. Excusari haud poterit a peccato mortali Ennodius, si votum suum non impleat, etsi versetur circa materiam levem. *Tale votum*, ait Toletus Instit. Sacerd. L. 4. c. 17. n. 9. *obligat sub mortali; adeo ut qui agit contra votum, etiam in re ante non debita, vel minima, peccet mortaliter.* Si vero solum diutius differat implere votum suum, hæc dilatio non videtur graviter peccaminosa ob parvitatem materiæ. *Pontas.*

CASUS X. Enquerandus Abbas illustri stemmate natus votum fecit ex motivo humilitatis, nunquam acceptandi Episcopatum. An tale potuit facere votum?

q. Si ipsius intentio fuit se obligandi ad nunquam acceptandum Episcopatum, etiam si a Superiore legitimo ad id adigeretur, illicitum ipsius est votum; si vero ipsius intentio fuit, non querendi Episcopatum, & oblatum, quandum a se dependet, recusandi, votum ipsius est licitum, & tali voto obligaretur coram Deo. S. Thomas 2. 2. 185. art. 2. ad 3. *Pontas.*

CASUS XI. Hector Paterfamilias, Parochianus ecclesiæ S. Pauli emisit votum audiendi per annum sigulis Dominicis & Festis principalioribus missam hora decima in ecclesia Regularium, quo tamen tempore divina fieri solent in ipsius parochia. Motivum voti fuit; quia ipsius confessorius eadem hora celebrat missam pro ipso, & huic missæ cum sua uxore & libe-

liberis commoda interesse potest. An tenetur sub peccato mortali exequi votum suum?

q. Votum fieri h. ud potest de re illicita, vel minus bona etsi de se licita. Hector tenetur toties, quoties commode potest, interesse missæ parochiali diebus Dominicis, & Festis solennibus; sed hoc facere non possit, si votum implere vellet. Ergo non tenetur voto. *Pontas.*

CASUS XII. Ægidius studiosus liberam habet electionem hæc vel illa via eundi ad scholam: fecit autem votum semper incedendi ea via, quæ modo ipsi videtur commodior. Daturne coram Deo obligatio implendi hoc votum?

q. Juxta D. Thomam 2. 2. q. 88. art. 2. C. & ad 3. non est faciendum votum nisi de re aut actione virtuosa, & omne votum de re inutili aut indifferente est nullum, ac consequenter non obligat. *Vota vero*, ait, *quæ sunt de rebus vanis & inutilibus, sunt magis deridenda quam servanda.* Idem dicendum, si mulier voveat, se certo die non composituram crines: talia vota mulierum, ait idem in 4. dist. 38. q. 1. art. 1. *sunt sacrilegia magis quam vota: sunt enim reliquæ quadam idololatriæ, secundum quam observabantur dies & menses; & ideo pro votis non habenda sunt, & peccant talia voventes.* Certum igitur est, Ægidium non potuisse facere ejusmodi votum; cum non sit actus virtutis unam viam eligere præ altera. Nihilominus si ea via, quam declinatorum se vovit, foret conjuncta cum occasione peccandi, teneretur voto. *Pontas.*

CASUS XIII. Ivo gravi infirmitate detentus vovit, si convalesceret, se curaturum, ut per novem dies legatur missa in determinata ecclesia ad altare confraternitatis sub titulo cujusdam Sancti. Convalescens ocyus migrat in alium locum, & quidem ibi permanens. An non poterit satisfacere voto in hoc loco; maxime cum eadem ibi instituta sit confraternitas?

q. Votum debet impleri quoad omnes circumstantias. Hinc Ivo tenetur votum suum exequi in ecclesia, ad quam ferebatur ipsius intentio. *Pontas.*

CASUS XIV. Dorothea uxor Gilberti periculose decumbens incito marito fecit votum instituendi peregrinationem, quinquies per diem recitandi *Pater & Ave*, & diebus Mercurii ac sabbati jejunandi per annum, si pristinam valetudinem esset recuperatura. Maritus autem impletionem horum trium votorum non admittit. An hoc non obstante Dorothea tenetur exequi vota sua? An maritus tuta conscientia potest se opponere?

q. Ejusmodi vota conjugum juxta D. Thomam 2. 2. q. 88. art. 8. C. consideranda sunt tanquam conditionata; &

quamprimum maritus eorum executionem prohibet, nulla sunt; nec peccat maritus irritans vota uxoris: cum iusta ipsi causa suppetit ea irritandi, quod certe contingit circa votum peregrinandi. Idem dicendum de voto jejunandi, si præjudicet juribus conjugalis mariti. Quod attinet votum quotidie recitandi quinquies *Pater & Ave*, id uxor implere tenetur; cum plenam ad hoc potestatem habeat, independentem a marito; qui etiam rationabiliter dissentire non potest. *Pontas.*

CASUS XV. Si Dorothea jam ante contractum cum Gilberto matrimonium emisisset votum peregrinandi; & bis per hebdomadam jejunandi, an teneretur exequi hæc duo vota, non obstante dissensu mariti?

R. Si ante matrimonium non detexit hæc vota Gilberto, ac ab eo licentiam non obtinuit hæc vota adimplendi, eorum adimpletio prorsus dependet a consensu mariti. *Pontas.*

NOTA. Pro ejusmodi circumstantiis petenda est a confessario privilegiato commutatio voti.

CASUS XVI. Samson in scia uxore vovet, se profecturum ad bellum sacrum contra Turcas in Palestina; & Lucia, ejus uxor in scio marito vovet peregrinationem Romanam, immo & Hierosolymitanam. An Samson licite exequitur votum suum sine consensu uxoris? Et si hoc ipsi licet, an non idem licebit uxori?

R. Si detur vera acurgens necessitas Christianorum, qualis olim fuerat in terra sancta, & Samson habeat puram intentionem subveniendi Christianis, & juncta cum illis operamissas provincias recuperandi, licite exequitur votum suum, etiam sine consensu uxoris. Innocentius III. Cap. *Ex multa*, 9. § 2. L. 3. T. 34. Cantuariensi Episcopo olim sic respondit: *In tanta quoque necessitate populi Christiani, ne terræ sanctæ impediatur subsidium, viri præter uxorum assensum hujus peregrinationis propositum vovere libere valent, & quod voverint, libere adimplere.* Extra hunc casum maritus nec emittere nec exequi potest ejusmodi votum sine consensu uxoris; cum in grave ejusdem præjudicium cederet, eamque exponeret periculo incontinentiæ. Quod Luciam attinet, ea absolute non potest adimplere votum suum ob multas, quæ exinde sequerentur, inconvenientias. Hinc S. Thomas in 4. dist. 32. q. un. art. 4. ad 1. ait: *Nec est simile de uxore ad virum; quia uxor cum majori periculo castitatis discurreret per terras, & cum minori Ecclesiæ utilitate. Et ideo uxor non potest hujusmodi votum facere sine viri consensu.* *Pontas.*

CASUS

CASUS XVII. Adelarius & Columba vivunt piensissime in conjugio; ita ut Adelarius ex solo motivo majoris perfectionis usu matrimonii peroptaret omnino abstinere. Postestne in scia uxore ad id se voto obstringere?

R. Votum hoc absque consensu uxoris foret illicitum ac invalidum; hinc fieri non potest. Ratio est; quia, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 88. art. 8. C. voveri non potest, quod non pendet ex voverentis arbitrio; non est autem in arbitrio conjugis denegare conjugale debitum petenti conjugi. *Pontas.*

CASUS XVIII. Si vero Adelarius solum voveret, se nunquam petiturum debitum conjugale, quod in ipsius potestate est. An saltem hoc votum fieri potest?

R. Sunt, qui ejusmodi votum licitum, sunt quoque, qui illud existimant illicitum; & hæc posterior sententia juxta D. Thomam in 4. dist. 32. art. 4. ad 3. est probabilior: per tale votum enim nimis onerosum redderetur matrimonium comparti, quæ eo nunquam uti possiet, quin petat; id quod sane arduum, præprimis intuitu uxorum, quibus ob pudorem naturalem difficilius accidit petere debitum, quam maritis. Nihilominus votum hoc semel emissum valet, & coram Deo obligat. *Pontas.*

NOTA. In tali casu conjuges, ne sibi invicem creent periculum, deberent se invicem separare quoad thorum.

CASUS XIX. Cæcilia scemina maritata potestne sine peccato emittere votum nunquam petendi debitum a suo marito?

R. Non obstante opinione S. Thomæ superius citati censetur, Cæciliam posse licite, imo & meritorie tale votum emittere: ratio enim S. Thomæ prius allata solum attingit uxores, quæ semper cum aliqua confusione, & verecundia petunt debitum. *Pontas.*

NOTA. Quamvis viro non sit onerosa perpetua abstinentia uxoris; ipsi tamen uxori est periculosa, & ob inevitabiles contactus scrupulis obnoxia obligatio perpetuo abstinendi a petitione debiti.

CASUS XX. Synesius & Mævia, contractis inter se sponsalibus, mutuo consensu ad pedem Altaris coram Sanctissimo, cum prius confessionem peregerint, emittunt votum servandæ ad dies vitæ castitatis & continentiæ, & insuper juramento spondent, se victuros invicem ac si essent frater & soror; Synesius insuper consensum suum dedit Mæviæ inscriptis. Verum aliquot diebus post contractum matrimonium, Synesius petit debitum conjugale, contendens, se non consensisse in votum, quod cum illa emittit; Mævia vero per totum

totum occiduum denegavit reddere debitum: a confessorio tamen admonita, quod in hoc obedire teneatur marito suo, reddidit debitum. Ast postea scrupulis continuo agitata adit quemdam Theologiae Doctorem, cui visum est, sine peccato mortali non amplius posse reddi debitum; eoque hortante Mævia se contulit in monasterium, ex quo tamen Synesius identidem eam repetiit a Superiorissa. An Mævia tuta conscientia potest, aut omnino tenetur redire ad maritum? Num Mævia invita Superiorissa dimittenda est ex monasterio?

3. In foro externo nullam prorsus Synesius fidem meretur, dum contra propria dicta & scripta affirmat, se non consensisse in votum una cum Mævia emissum; nec absque peccato potest debitum conjugale petere, donec legitimam dispensationem obtinuerit: votum enim ipsius hac ratione factum, ut in casu ponitur, non annullatur per matrimonium; cum unum cum altero possit subsistere, ut docet S. Augustinus Can. *Manifestum*, II. Can. *Quod Deo*, 4. & Can. *Una*, 6. 33. q. 5. Ad Mæviam quod attinet, licet ea, in consummationem matrimonii consenserit, non tamen tenetur continuare redditionem debiti, saltem nisi Synesius exposita facti veritate, id est, reciproca ac mutua p. omissione, legitimam dispensationem a voto & juramento non obtinuerit; quo in casu Mævia ad Synesium redire, non obstante voto suo debitum reddere, ac cum eo ut uxor cum marito vivere teneretur: nec tamen absque violatione voti debitum petere posset, nisi & ipsi dispensatio concessa fuerit. Superiorissa denique Mæviam nullatenus in conventu, in quem se recepit, retinere potest contra voluntatem mariti eam reclamantis: totam, quod ea in favorem hujus scemina facere potest: consistit in eo, quod possit desuper expectare sententiam iudicis. *Pontas.*

Nota. Ejusmodi vota conjugibus, aut matrimonia voto ligatis nunquam consulenda sunt.

CASUS XXI. Philologus periculose decumbens in præsentia plurium personarum duo facit vota, 1. Filiam natu minimam septennem in religioso Ordine Deo consecrandi; 2. Filium suum Theodoricum peregrinatum mittendi ad B. Virginem Lauretanam, ut ibi per novem dies ad Deum preces fundat pro conversione peccatorum. Teneturne Theodoricus in conscientia adimplere votum patris? An & filia competentem ætatem adepta tenetur ingredi Religionem?

3. Si Theodoricus ratum non habuit votum patris, nec ejusdem adimpletionem promisit, non tenetur coram Deo illud adimplere. Idem dicendum de filia quæ ante adeptam pubertatem

ne

ne quidem potest ratihabere votum paternum. Regulariter nunquam tenetur quis ad votum personale, quod ipse non emisit, nisi ad illud adimplendum se obligaverit. *Pontas.*

CASUS XXII. Flaccus gravi periculo liberatus vovit in præsentia hæredum suorum præsumptivorum, se peregrinatum ad ecclesiam viginti leucis a suo domicilio distantem, ac reducem se donaturum 250. florenos pauperibus suæ parochiæ. Ast Flaccus domum redux moritur. An hæredes ipsius dictos 250. florenos in pauperes erogare tenentur?

3. Votum hoc, cum sit reale, a quocumque demum impleri potest. Hinc hæredes Flacci ex bonis hæreditariis tenentur summam 250. florenorum elargiri pauperibus parochianis. Non tenerentur autem ad implendum votum peregrinationis; cum hoc afficiat ipsam ac solam personam voventis. *Pontas.*

CASUS XXIII. Matthias annos natus octodecim in fervore devotionis fecit votum jejunandi singulis feriis sextis; postea vero dubitat, an verum emisit votum. Quid ipsi agendum? An sub peccato mortali tenetur ad hoc jejunium?

3. *In his quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus,* inquit Eugenius Papa Cap. *Juvenis*, 3. Lib. 4. Tit. 1. Hinc Matthias tenetur jejunare, si dubium sit rationale, & non merus sit scrupulus male fundatus. *Existens in dubio,* ait S. Antonius Summ. Theol. part. 2. Tit. 11. *an transgrediatur votum, & per consequens peccet mortaliter, tenetur se ponere in tuto, ut scilicet votum non transgrediatur.* *Pontas.*

Nota. Si rationabiliter dubitat de emissionem voti, eo ipso non obligatur voto.

CASUS XXIV. Anastasia in quadam communitate ex censum & ultra puellis constante, & ab Episcopo instituta ac confirmata emisit votum virginittatis & perpetuæ continentiæ, assistentibus huic ceremoniæ plurimis personis varii sexus & conditionis, immo præsente ipso Episcopo. An votum istud solemne dici potest?

3. Juxta D. Thomam 2. 2. q. 88. art. 7. ad 3. votum hoc, licet publice emissum, non nisi simplicis voti rationem habet; quia ecclesia tantum illud votum pro solemnem habet, quod emittitur in Religione a S. Sede approbata, & in receptione Ordinum sacrorum. *Pontas.*

CASUS XXV. Duæ personæ emiserunt votum ex metu gravi, & cadente in virum constantem: v. g. Poponius in periculo vitæ vovit ingressum in Religionem, si evadere; & Leocadia emisit professionem solemnem ex metu mortis,

quam

quam pater ipsi comminabatur, si non profiteatur. An ejusmodi vota obligant?

R. Votum Poponii valet: metus enim, qui fuit motivum hujus voti, provenit a causa interna, ac pure naturali; & ejusmodi metus non potest annullare votum. *Quidam Clericus, ait Innocentius III. Cap. Sicut. 17. Lib. 3. Tit. 31. cum ægritudine nimia laboraret, quasi de morte securus, & de recuperanda sanitate desperans habitum Canonicorum Regularium petiit & accepit. . . Quodsi regularem habitum se postulante suscepit, & ad observationem religionis canonice sua se professione ligavit, ad resumendum habitum ecclesiastica est districtione cogendus. Votum vero Leocadiæ nullum est; quia metus ejusdem provenit a causa extrinseca & libera; sicque juxta Alexandrum III. Cap. Perlatum. 1. Lib. 1. Tit. 40. omne votum irritat. Hinc concilium Tridentinum Sess. 25. de reform. c. 17. puellas religionem ingressuras sedulo explorari jubet, dum ait: Puellas quæ habitum regularem suscipere voluerit, non ante suscipiat, nec postea professionem emitat, quam exploraverit Episcopus virginis voluntatem diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat. Pontas.*

CASUS XXVI. Baldericus viginti annos natus vovit ingressum in religionem; sed ex mera negligentia per integrum jam annum distulit implere votum suum. An absque peccato tamdiu differre potuit? An sub peccato tenetur ocyus & absque ulla dilatione implere votum; licet vovens tempus ad illud adimplendum non determinaverit?

R. Coram Deo haud dubie peccavit tamdiu differendo executionem voti, teneturque sub peccato illud quamprimum exequi; saltem nisi justa causa dilationem excuset. Sic dicitur Deuter. 23. v. 21. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requirit illud Dominus Deus tuus; & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Pontas.*

CASUS XXVII. Ernestus periculose decumbens vovit ingredi religionem ad agendam de peccatis suis poenitentiam, si evaderet, & sanus fieret. Post dies quindecim sanus factus ante lapsum anni ingressus est Congregationem Oratorii, ibique omnes sacros Ordines recepit. Jam quaeritur 1. An votum Ernesti sit validum, licet metu mortis emissum. 2. Si est validum, & legitima subsit causa petendi dispensationem, num recurrentum sit Romam; aut an satisfiat voto per ingressum in Congregationem Oratorii, & receptum ibi presbyteratum. 3. Supposito quod Ernestus sufficienter adimpleverit votum, potest hanc congregationem pro arbitrio suo deferere, quod liberum est omnibus in hac Congregatione existentibus. 4. Posito, quod voto non satisfecerit, teneaturque ingredi Ordinem

dinem religiosum, an non ab hac ipsa obligatione immunis censendus foret ob continuos vix non dolores capitis, quibus afflictabatur.

R. Ad 1. Votum Ernesti est validum, licet ex metu mortis emissum. Ad 2. Cum votum hoc fuerit conditionatum, opus haud foret pro dispensatione Romam recurrere, si ea peteretur ante recuperatam valetudinem; si autem post recuperatam jam valetudinem peteretur dispensatio, ea a solo Papa obtineri posset; quia purificata sic conditione votum conditionatum transit in absolutum. Ad 3. Ernestus non satisfecit voto suo ingrediendo Congregationem Oratorii, ibique presbyteratum recipiendo; cum Congregatio isthæc nullum admittat votum, nec solemne nec simplex, membrisque ejusdem plena sit libertas inde egrediendi. Ad 4. Continui fere dolores capitis sufficiens fors causa sunt non emittendi professionem in Ordine religioso; non autem eximunt ab obligatione se presentandi, & tentandi vires, an observandæ regulæ pares sint. Pontas.

CASUS XXVIII. Instituta est in Hispania Congregatio Clericorum sæcularium, cujus Author requisito prius totius communitatis consensu petiit ac obtinuit a Papa anno 1650. Breve, vi cujus omnes recipi volentes tenentur in manus Superioris deponere quatuor vota simplicia, videlicet castitatis, paupertatis, obedientiæ ac stabilitatis. Verum cum postea experientia edoceret, votum paupertatis non posse convenire cum functionibus ordinariis membrorum congregationis, obtinuit aliud Breve cum hac modificatione: *Omnes & singuli in dicta congregatione, dictisque quatuor votis emissis recepti; qui immobilia, vel Beneficia obtinent, aut in futurum obtinebunt ac possidebunt, licet dominium illorum omnium retineant, eorundem tamen usum liberum non habebunt; ita ut neque fructus de hujusmodi bonis vel Beneficiis provenientes retinere, neque in proprios usus sine licentia Superioris quidquam convertere possint, sed de eisdem fructibus cum facultate & arbitratu Superioris in pia opera disponere tenebuntur. Variæ ex hoc ipso Breve oriebantur difficultates ob varias interpretationes ejusdem, ita ut Congregatio in conventu generali sensum Brevis Pontificii determinatura ita statuerit, Omnibus & singulis mandat ac præcipit, ne a quoquam vel gratuito, vel mutuo, vel alio quovis modo pecuniam, aut alia mobilia sine licentia Superioris recipiant, aut donent, aliis dent in mutuum, apud alios retineant, aut apud se servant, gestentque secum, ac eis pro libitu utantur: quæ omnia Conventus condemnat tanquam paupertati, quam profitemur, prorsus aliena. Sed nec Brevis Apostolica, nec decretum Conventus potuerunt omnes com-*

ponere motus. Sic Galeacius membrum Congregationis dubitat 1. An Breve primum adhuc ad aliquid obliget, & an non per Breve secundum penitus fuerit abrogatum. 2. An peccet contra votum paupertatis, si sine permissione Superioris apud se retineat pecuniam, cum in Brevi dicatur solum retinere, & non apud se retinere possint. 3. An non translatus ex una domo Congregationis in aliam possit sibi absque Superioris licentia attribuere libros propriis pecuniis emptis. 4. An peccaverit contra votum inscio Superiore acceptandis pecuniis aut alias res dono oblatas, quas absque scrupulo accipi posse existimaverat; cum secundum Breve, quod de rebus suis mobilibus disponere vetat, ultro donata accipere non prohibeat.

ꝑ. *Ad 1.* Breve primum in suo adhuc vigore persistit, excepta sola proprietate bonorum immobilium: non enim fuit revocatum, sed solum explicatum ac limitatum per Breve secundum, quod voventibus in Congregatione paupertatem relinquit dominum bonorum temporalium, quæ possident, ita ut ea vendere, permutare aut donare possint, & votum restringit ad solum usum reddituum ex his bonis proventuum aliorumque bonorum mobilium, de quibus sine licentia Superioris disponere non possint. *Ad 2.* Galeacius peccat contra votum suum, si pecunias ex bonis suis immobilibus aut aliunde provenientes apud se retineat sine licentia Superioris: distinctio enim inter retinere & apud se retinere frivolum effugium est; cum Papa per terminum generalem retinere comprehendisse censeatur omnem retinendi modum, & ipse generalis conventus Congregationis in suo decreto omnem sinistrae ejusmodi interpretationi aditum præcluserit, dum ait: *Ne apud alios retineant, aut apud se servant, gessentque secum.* *Ad 3.* Quodlibet Congregationis five secularis five regularis membrum tenetur in conscientia servare ejusdem statuta. Hinc Galeacius non potest transferre libros a se emptos in aliam domum propria auctoritate; quia id prohibetur in statutis suæ Congregationis. *Ad 4.* Breve secundum non prohibet quidem membris privatis accipere pecunias dono dadas; sed votum paupertatis non permittit, ut eas sibi attribuant animo ut proprias possidendi. *Pontas.*

CASUS XXIX. Genebaldus vovit ingressum in Religionem, nullam tamen determinando. Hinc recipi petiit apud Benedictinos; sed repulsam tulit. Teneturne admissionem petere in alio Ordine?

ꝑ. Juxta S. Thomam 2. 2. q. 189. art. 3. ad 2. certum est, Genebaldum non satisfacere voto, nisi susceptionem quaerat in alio monasterio aut Ordine. Verum si intentio Genebal-

di

di respexisset certum aliquod monasterium aut determinatum Ordinem, & in eo bona fide supplicasset pro admissione, & tamen fuisset repulsus, non amplius teneretur voto. Si quidam intendit simpliciter se ad Religionem obligare, ait S. Doctor, si non recipitur in una Religione, tenetur ire ad aliam: si vero se intendit specialiter obligare ad unam solum, non tenetur nisi secundum modum suæ obligationis. *Pontas.*

CASUS XXX. Gabriel vovit ingredi Religionem S. Benedicti; sed cum in quodam monasterio peteret suscipi, admittus non est, eo quod, ut Superior ipsi indicabat, ineptus esset ratione sanitatis ad perseverandas austeritates Ordinis. An ex hoc jam liber est ab obligatione voti?

ꝑ. Juxta D. Thomam l. c. liber est; nec tenetur admissionem petere in alio monasterio, si idem responsum se reportaturum prævideat. *Pontas.*

CASUS XXXI. Amadeus vovit ingressum in Ordinem Carthusianorum vel Camaldulensium; sed postmodum professus est in alio Ordine minus austero. Teneturne adhuc ad tranquillandam conscientiam suam ingredi alterum ex his duobus Ordinibus?

ꝑ. Non tenetur ad aliud, quam ut poenitentiam agat de peccato suo ac violatione voti: votum enim solemne in religione minus austera emissum, ut D. Thomas l. c. art. 8. ad 3. observat, fortius obligat ac stringit quam votum simplex, quo quis ad ingressum in religionem strictiorem se obligat. *Pontas.*

NOTA. Si in Ordine, quem ingressus est, notabiliter est laxior observantia, par autem in utroque Ordine opportunitas collaborandi ad Dei gloriam, ac insuper ad strictiorem observantiam vires suppetant, Superioresque transitum non illibenter ferant, Deus non censetur cedere jure suo ad solvenda duo vota, simplex & solemne in Ordine rigidiore, utpote compatibilia.

CASUS XXXII. Palæmon ingressus est monasterium, in quo ex Superiorum negligentia abierunt in desuetudinem præcipua disciplinae regularis capita, cumque existimaret, regulam non obligare ad majorem austeritatem, ac in conversatione Religiosorum observaverat, professionem emisit ad hanc ipsam vivendi normam, & cum intentione se se gerendi more aliorum professorum. Agnovit autem postea, quanta sit in Religiosis corruptio, & quam longe alia in regula præscribantur, cujus rigorem si prius scivisset, nunquam professionem emisisset. Potestne tuta conscientia & deinceps vivere more reliquorum Religiosorum? Aut nunquam solus coram Deo tenetur se conformare regulæ?

T 2

* Si

3. Si Palæmon non agnovit, hanc relaxationem esse contra regulam Ordinis aut monasterii, & bona fide credit, se non obligari ad strictiorem observantiam, ac de cætero nil agat contrarium tribus votis essentialibus, castitati, paupertati & obedientiæ, excusatur a peccato, si vivat more reliquorum. Sic sentiunt plures Authores, & nominatim Caballutius L. 1. c. 21. n. 12. Ratio est; quia Palæmon præsumere potest, Superiores hujusmodi relaxationem haud permisisse absque ratione, quæ ipsis legitima visa est, eamque satis approbatam consensu saltem tacito summi Pontificis. Pontas.

CASUS XXXIII. Andronicus in quadam Congregatione regulari susceptus professionem emittit ut frater conversus, absolute se obligando Religioni ad omnes constitutiones ibi observari solitas, quæ tamen continebant, quod conversi, qualis ipse erat, possint remitti ad sæculum, si ita expedire videatur, nulla habita ratione temporis, quo se in Religione detinuerant. Andronicus hujus incerti status pertæsus expleto jam integro in Religione decennio abiit absque Superioris licentiâ, & in alio monasterio Ordinis S. Benedicti tria solemnia vota Deo nuncupavit. Potuitne privata autoritate sic discedere ex Congregatione? Estne valida professio ipsius apud Benedictinos edita? Num tuta conscientia in secundo monasterio persistere potest?

3. Etsi professio in præfata Congregatione deposita sit valida, Andronicus tamen privata autoritate potuit monasterium Benedictinorum ingredi; neque emissa ibi professione tenetur ad Congregationem redire, etsi ab ejusdem Superioribus reclametur. Professio non solum debet esse absoluta ex parte profitentis, sed etiam absolute ac stabiliter acceptari debet a Superiore & Communitate, in qua emittitur. Professio, inquit Navarrus L. 3. Conf. de regul. conf. 26. n. 1. est in effectu quidam contractus reciprocus, utro citroque obligatorius, quo profitens se obligat monasterio vel Ordini ad servandum ei secundum regulam ejus; Et contra monasterium ad alendum Et tractandum eum secundum eandem regulam. Pontas.

NOTA. Hæc responsio haud acceptanda videtur: licitus est enim contractus, quo laicus se monasterio vel Ordini obligat ad perpetua servitia, quin Ordo vel monasterium se vicissim obliget ad eum perpetuo retinendum pro omni causa & eventu. Contractus autem licitus servandus est; nec sic ligatum ære vel jure alieno recipere licet absque consensu obligantis. Fatendum tamen, taliter ligatum proprie non esse Religiosum.

CASUS

CASUS XXXIV. Hilarius anno ætatis suæ vigesimo secundo in periculosa infirmitate constitutus votum emittit, si reconvaleret, suscipiendi vitam monasticam in monasterio de la Trappe, etsi nullum de usitatibus ibi austeritatibus notissimam haberet. Verum cum recuperata sanitate paulo post affligeretur duplici ruptura, nulla amplius habita ratione voti contraxit matrimonium. Jam quaeritur 1. Num votum Hilarii fuerit verum votum Religionis. 2. An ob supervenientem rupturam fuerit liberatus ab obligatione, sicque poterit contrahere ac consummare matrimonium absque peccato mortali. 3. Supposito, quod peccaverit contrahendo matrimonium, an toties peccaverit, quoties petiit debitum. 4. An illud votum a confessario ordinario non possit commutari in alia pia opera, saltem tempore universalis Jubilæi?

3. Ad 1. Juxta definitionem voti a D. Thoma 2. 2. q. 88. arr. 2. C. allatam Hilarius vere emittit votum simplex Religionis. Ad 2. Etsi Hilarius temerarie emisit hoc votum, sciebat tamen statum, ad quem amplectendum sese voto obstrinxerat, esse longe perfectiorem ac acceptiorem Deo statu suo moderno, ejusque difficultates se facile superare posse cum Dei gratia: ideoque ante contractum defectum tenebatur tentare modo possibili susceptionem; neque, dum in præjudicium voti sui contraxit matrimonium, potest excusari a peccato mortali. Contracta autem semel ruptura, si eam credat esse incurabilem, non amplius ligatur voto; adeoque licite contrahit matrimonium, cum defectus iste sit evidens obstaculum ad ingressum Religionis tam austeræ. Id omne, inquit Sylvius in 2. 2. q. 88. V. *Votum 1. quod ante votum emissum reddidisset rem inhabilem, ut esset materia voti, si voto factio superveniat, etiam reddit eandem rem inhabilem.* Unde sequitur, Hilarium non peccasse mortaliter, si matrimonium contraxit, non nisi postquam se penitus inhabilem sensit ad professionem religiosam, ad quam se voto obstrinxerat. Ad 3. Juxta eundem Authorem Hilarius non peccavit toties, quoties petiit debitum, licet peccasset matrimonium ineundo. Ratio est; quia ille, qui vovit simpliciter ingredi Religionem, quin habuerit expressam intentionem vivendi castitatem, non tenetur præcise vi voti ad castitatem, se potest contrahere matrimonium in casu, quo ad professionem religiosam admitti non possit. Ad 4. Cum simplex confessarius non possit dispensare in voto simplici Religionis, nec illud commutare, nisi Papa in Bull. Jubilæi confessariis expresse hanc facultatem concedat, Hilario pro dispensatione, si ea indigeat, Romam recursum est. Pontas.

NOTA.

T 3

NOTA. In voto Religionis dubii valoris, ubi v. g. merito dubitatur an sit de meliori bono, vel utrum cum matura deliberatione emissum sit, dispensatio vel commutatio pertinet ad Episcopum.

CASUS XXXV. Hildegardes professa est in aliquo monasterio Monialium, in quo jam ultra triginta annos non amplius observatur clausura. Novus autem Superior exacte deinceps observari clausuram præcipit. An tenetur Hildegardes in conscientia huic ordinationi sese subicere, maxime, si expressam in sua professione intentionem habuit, nunquam se obligandi ad clausuram, aut omnino Superioris suæ declaraverit, se non emissuram professionem, nisi ea conditione, ut nunquam adstringatur ad clausuram?

ꝑ. Certum est, quod Hildegardes teneatur se submittere clausuræ a novo Superiore restitutæ: solemne enim votum obedientiæ eam obligat, ut justis Superioris sui legitimi mandatis obtemperet: justum autem est mandatum, vi cujus a novo Superiore omnibus hujus conventus Monialibus servanda deinceps clausura injungitur; idque conforme est decreto Concilii Tridentini, quod omnibus Episcopis sub interminatione reddendæ rationis in divino judicio, & incurrendæ maledictionis æternæ præcepit, ut in omnes conventus Monialium, in quibus clausura non vigeat, eam introducant, non obstantibus oppositionibus quibuscumque. *Pontas.*

NOTA. Professio hujus Monialis vel omnino est invalida, vel certe valoris dubii; ac proin subjacet dispensationi vel commutationi episcopali.

CASUS XXXVI. Tiphania uxor Oliverii consensit, ut maritus fieret presbyter; ac postmodum & ipsa emisit votum perpetuæ castitatis. An tenetur Religionem ingredi? An num poterit manere in sæculo, & in eadem cum marito urbe?

ꝑ. Si Oliverius nondum recepit sacros Ordines, & Tiphania adhuc sit ætatis admodum vegetæ, Episcopus Oliverium ad eos non admittat, nisi uxor prius Religionem ingressa fuerit. Si autem Tiphania jam provectæ admodum ætatis est, & extra omnem suspensionem incontinentiæ posita, Oliverius potest ordinari, quin ea obligetur ad ingressum in Religionem. Si vero Oliverius jam est ordinatus presbyter, uxor ipsius, quæ consensit in ejus ordinationem, & votum continentiæ emisit sine ulla mentione ingrediendi Religionem, non obligatur ad ejusdem ingressum, sive parum, sive multum provectæ ætatis sit. Nilominus si prævideatur, ex hoc, quod in eadem urbe commorantur ambo, oriturum scandalum, ob

fre-

frequentes scilicet mutuas salutationes, Tiphania ex charitate teneretur alio discedere. *Pontas.*

CASUS XXXVII. Eulogius vovit, se jejunaturum diebus Mercurii & Sabbati per totam vitam; idque jam implevit decem annis. Factus autem postmodum Religiosus jussus est a Superiore manducare cum aliis, & abstinere ab hac singularitate. Num obedientia Superiori debita tollit votum prius emissum?

ꝑ. Religiosus iste liber est a voto, quod in sæculo emisit; & sic non datur obligatio servandi vota facta ante solemnem professionem. Ita docet S. Thomas 2. 2. q. 88. art. 12. ad 1. Ratio est 1. Quia per professionem homo totam vitam suam consecrat servitio divino, ita ut omnia opera bona, ad quæ se prius voto obstrinxerat, censeantur comprehensa in unico voto Religionis. 2. Quia Religionem proficiens moritur quodammodo vitæ priori, ut aliam omnino novam inchoet. 3. Quia singularitates non bene concordant cum vita communi monastica. *Pontas.*

NOTA. Non ita certum est, Religiosum per solemnem professionem liberari, vel per Superiorem absolvi posse ab omnibus votis in sæculo emissis, certe non præjudicantibus vitæ communi, aut bono ac honestati status religiosi, ut sunt v. g. vota tendentia ad supprimendam passionem vitiosam prædominantem, aut stabiliendam virtutem &c.

CASUS XXXVIII. Pantaleon Religiosus in quodam monasterio amplissimæ urbis, in quo plusquam centum Religiosi degant, emisit votum singulis diebus recitandi septem psalmos pœnitentiales. Cum autem a Superiore constitutus fuisset janitor, vix ullum ipsi tempus supererat ad persolvendum votum suum. Potuitne Pantaleon valide emittre hoc votum? Et supposito ejusdem valore, teneretur sub peccato mortali illud adimplere?

ꝑ. Pantaleon non potuit hoc votum emittre sine consensu sui Superioris; & consequenter nec teneretur illud implere: Religioso enim nullum tempus suppetit, in quo Superior eum non possit occupare; nec potest se Deo obligare ad illud distribuendum pro suo libitu, sub quocumque prætextu id fiat. S. Thomas 2. 2. q. 88. art. 8. ad 3. *Pontas.*

NOTA. Si non impediretur per suas functiones, obligaretur voto. In dubio an impediatur, votum a confessario commutandum est.

CASUS XXXIX. Claudia Novitia tertii Ordinis S. Francisci non dubitans, se admittendam ad professionem, secreto ac privatim emisit tria vota hujus tertii Ordinis. Cum autem

T t 4

præ-